



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 114. Præpositus, aliique errore cognito a censuris liberari efflagitantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæc. XVI.
A.C. 1569.

sine Pontificis jubilo legationem suam integra fide exequebatur; quippe Governator non modo juxta Regis Catholici jussa edictum suum supprimebat, sed etiam cum censuras Ecclesiasticas incurrisset, ut ab iis per suum Confessarium absolveretur, petiit, obtinuitque, ut die festo Nativitatis Dominicæ sanctis Mysteriis interesse posset. Pariter etiam Archiepiscopi Ministris rursus suæ jurisdictionis munia libere exercendi jus solemniter assererebatur.

§. CXIV.

Præpositus, aliique errore cognito a censuris liberari efflagitantes.

Giussano l. c. Postmodum Canonicorum Scalensium Præpositus, qui tamen ad vim sancto Cardinali illatam minus, quam ceteri conferebat, reliquis prior suam culpam detestatus a censuris absolvi efflagitabat, quam gratiam ei ipsemet sanctus Carolus publice impendit, postquam idem Præpositus se Archiepiscopali jurisdictioni submissurum pollicitus erat: diutius vero Canonici, quorum caput erat Calaber, hisce censuris impliciti hærebant, eo quod sprete anathematis poena in sua Ecclesia, quamvis interdicto subjecta, pro veteri more semper divina Officia celebrassent, quinimo rem divinam cum majori, quam antea

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

tea solemnitate peragere gestiebant, ut eo liberius, prout conijcere licet, sancti hujus Præfulis auctoritati insultarent: postquam vero Barbestam misere obiisse, ac Papam in eos pœnarum severitate usurum compererant, delicti veniam exorabant: nihilominus Pius V. pœnam, quæ ceteros ab ejusmodi ausibus absterret, decernere statuebat: verum Cardinalis pro iis adeo impense deprecabatur, ut Pontifex totum negotium ei committeret, ejusque arbitrio plene relinqueret: igitur cum sanctus hic Vir nollet mortem Peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, ejusque jura deinceps intacta serventur, hinc utroque hoc capite ad optatum finem deducto veniam petitam hilari animo reis concessit, atque anathematis pœnam in eos vibratam relaxavit.

§. CXV.

Rei ab Archiepiscopo absoluti, ac pœna eis imposita.

Hujus absolutionis solemnities ante fo- *Giuss. l. 2.*
res Ecclesiæ Cathedralis perage- *cap. 25.*
bantur, ubi Canonici a suis censuris soluti, ac templum ingressi flexis genibus Mediolanensem Archiepiscopum tanquam suum Superiorem profitebantur. His factis sanctus Borromæus eorum Ecclesiam ab interdicto liberans,

Gg 4 ipfus